

* P * V * I * S *

* 1 * 6 * 2 * 4 *



- I. Paraphrasis Psalmi LXXXII M. Zachariae Wennenezeri
- II. Psalmi Davidici 121. 91. 125. 124. Gregorij Bersmanni.
- III. Epigramma de Christo recens nato Joachimi Flemingi
- IV. Lessius Casareus Cyriaci Herdesiani sup obitum Rudolphi Imperatoris
- V. Soteria Dn. Johanni Georgio Saxonum Duci Academiae Wittebergensis.
- VI. Votivus applausus Dn. Htz: Principi Ansalino administrationem principatus Cisalpinii suscipienti Frederici Theodori Gorlicio
- VII. Theophrastus Epigramma ad Dn. Augustum Principem Ansalinum Thomazij causa Servestanae aerebus M. Petri a Jena.
- X. Epithalamium Marci Frederici Wendelinii ad Dn. Augustum Ducem Brunovicensium.
- II. Epithalamium ad eundem principem Jani Cremeri.
- III. Ecloga Gregorij Bersmanni Rudolpho Principi Ansalino sponso scripta.
- XI. Theophrastus Epigramma ad Dn. Rudolpho Princ: Ansalino scripta a Collegis Scholae Servestanae.
- XII. Epicedium in obitum Dn. Rudolphi Princ: Ansalini Abrahami Cremeri.
- XIII. Strena Poetica Christophori Heroldi.
- XIV. Querele Saravintonis et Biomeae.
- XV. Gregorij Bersmanni in pontem sablicium Despuensem Carmen Epigrammatum.
- XVI. Joachimi Flemingi Piculum Scholasticum.
- XVII. Abrahami Vrici Diagrapha Laboris Scholastici.
- XVIII. Coronis Collegio Disputatorio et Oratorio imposita.
- XIX. Typus Depositionis Scholasticae Frederici Widebrami
- X. Bulla Amuletum M. Bloey.
- CI. Oda honoribus Dn. Danielis Burchardi Dn. Johannis Christophori Hartmanni. Dn. Philippi Meudligeri. Dn. Matthaei Coleri Doctorum scripta.
- XXII. Gratiarum Actio M. Johannis Copperij post Magistratum cultum pronuntiata.
- XXIII. Epigramma in honorem Cerevisiae Servestanae Danielis Burchardi.
- XXIV. Desortatio a Callemnys
- XXV. Germania ad Principem epistola Ad: Martino Pratorio.
- XXVI. Votum Scholae Vesaliensis
- XXVII. Theophrastus Epigramma ad Dn. Johannem Stunium.
- XXVIII. In honorem Magistrum Dn. Johannem Gualtero
- XXIX. Trizinta Jenerum M. Christiani Galli Italosaxonis.
- XXX. Adami Forweroy Frederici Stessenis Ernesti Wulstorgij.
- XXXI. Eorundem
- XXXII. Juvenum 37. M. Theophili Carisseri
- XXXIII. Johannis Cremeri.
- XXXIV. In honorem Notarii Valerij ni Gelani.
- XXXV. Strena anagrammatum quadrifida Christophori Heroldi.
- XXXVI. In nuptias Dn. Wolfgangi Amlingi 4. V. D.
- XXXVII. Eiusdem Johannis Amlingi Nicolai May.



№ LXXXI.

ΜΕΛΕΤΗΜΑΤΑ ΓΑΜΙΚΑ

Consecrata

Secundis Nuptiis

Magnifici & Nobilissimi

DN. HENRICI

de BORSTELL, ILLUSTRIS-

SIMIS CELSISSIMISQ; PRINCIPIBUS AN-

haltinis, Comitibus Ascaniæ, &c. à consiliis secre-

tioribus, Arcis Arctoræ Capitanei, & Illustris. Ibidem

Curia Præsidis digniss. hæreditarii in Plötkaw / &

Güsten / &c.

SPONSI

Cum

Nobilissimâ & omni virtutum genere

celebratissimâ virgine

SUSANNA de Röhmen /

Nobilissimi maximèq; strenui

VIRI

STEPHANI de Röhmen / &c.

Hæreditarii zum Hoff / &c.

Filiâ dilectissima,

SPONSA

In Illustri Aulâ Anhaltino-Cothenâ

Celebrandis.

A. D. 13. Decembr. Juliani

M. DC. XXIII.

SERVESTÆ

Typis Zachariæ Dorfferi.

Handwritten text in a historical script, possibly Gothic or a similar medieval hand. The text is arranged in several lines and is enclosed within a decorative border. The ink is dark, and the paper shows signs of age and wear.





ΜΕΛΕΤΗΜΑΤΑ ΓΑΜΙΚΑ.

I.

BIs duodena rotat, bis volvit tempora
olympus,
Anni complentur cœlitus atq; duo,
ANNA tuum fato quando, INCLYTE
SPONSE! relinquit
ANNA benignatorum, Nobilitatis honos.
Hac Amor, hæc & cordis erat nutricula, Mater
Nobilis hæc, sobolis anxia & alma tua.
Cujus eò mortem quàm, vir generose, dolebas,
Non secus ac cordis portio secta foret.
Testis amoris ego sum, testis & ipse doloris,
Quem cordi peperit Mors inopina tuo.
Ast ò leta dies, quam profert phœbus Olympo,
Alba dies, thalamo quæq; dicata novo.
Quàm verè occidit quos, hos revocare ΞΕΝΟΥ
Ad vitam, tristes exhilarare solet.

A 2

Non



Non dat quippe Deus cunctis quassariet annis,
Involvit tenebris & sine luce pium.
En! viduū sanat lectum PATER almus ab alto,
ANNÆ succedit casta SUSANNA loco.
Pulchra SUSANNA, decq̄ quæ nobilitatis avitæ,
Prodit in amplexum, Vir generose, tuum.
Dignus es hac sociâ, tua mens, virtusq̄ meretur
Et proavis genitus Nobilitatis honos.
Gratulor ergò tibi: SPONSAM, votūq̄ secundū,
Ex animo cedat quod tibi, quòdq̄ tuis.
Vestraq̄ combinet duo pectora Spiritus almo
Nexu, quo junxit corda priora, sacer
Vivite Nestoreos annos, PARNOBILE, lecti
Ad vestros ludant pignora cara pedes.
Nobile Borstelidum sic & genus & decus ævum
Floreat in multum, Rhâmenidumq̄ genus.

Devotæ observantiæ & congratulationis

ergò

ἐὺφρονέως

scribat

M. CUNRADUS REINHARDUS
Superintendens Bernburgensis.

Ergoné



II.

ERgoné TU primus, Sponse augustissime, cu-
jus

Sunt, ex officio, vota sacrandam mihi?
Omen id esto bonum! de TE meliora vicissim
Nam tua mi spondet mens pia, rara Charis.
Scilicet ut viduam miserum est traducere vitam,
Pendula cum fulcro stat domus orba suo:
Sic miseranda sacræ facies illacrumat ædis,
Altores raptos orphana quando gemit.
Eja igitur porrò, Vir laudatissime, OBADJAM,
EBEDMELECUM, lumina quanta! refer;
Publica sic stabunt rectè: sobolescet opimo
Conjugii fructu sic quoq; priva domus.

devoti honoris ergò
consecratum

à

Balthasare Leuthnero, Silesio,

Pastore ad D. Ægidii in
promontorio arcis Bern-
burgensis.

A 3

III. Vo.

III.

VOTUM

In

Secundas Domini Parentis
nuptias.

ERgo secunda paras, Pater ô carissime, Vota,
Sic animi Domino sensa regente tui!

O Ars me faceret nunc & Natura Poetam,
Cantarem multis Vota secunda modis!

Vota secunda mei cantarem jure Parentis,
Cothenis ritu concelebranda pio.

Verùm cum vires mihi Musa negaverit istas
Sincero tantùm pectore fundo preces.

Maxime Conjugii sacri Servator & Autor,
O Deus, in trino Numine Numen idem!

Fac, sint vota mei felicia vota Parentis,
Inq̄ decus cedant Nominis ista tui.

Fac, sint vota mei pacalia vota Parentis,
Inq̄ augmen cedant Börstelix ista Domûs.

Fac,

*Fac, re sit mater nobis ipsissima, proli
Quae jam Borsteliae voce noverca venit.*

CONRADI de BÖRSTEL,
Fili natu maximi.

IV.

Splendorem niveis vaccinia nigra ligustris
Addunt: candentis cygni Jovis armiger ales
Auguet candorem: tenebris & nube remotis
Clarius itq; reditq; dies: qui relinquere fines
Coguntur Patriae dulces, his dulcius arum
Et natale solum, quando post tempore longo
Posse videre focos patrios dant prospera fata:
Te mage Te PACEM poscens jam tempore belli
Viribus Ipsa sibi perit, hel, Germana Dis Cors:
Quantum sana bonum sit mens in corpore sano,
Non nisi correpti morbis agnoscimus aegre:
In viduo thalamo, spoliatus compare fidam,
Qui gemuit, raucus velut alta tuttur ab ulmo
Scit, quam dulce PROBAM cum conjuge duce-
re vitam.

Præses id Arctoæ expertus dignissimus Arcis
Borste-

Borstelianorum claro de sanguine natus,
Postquam deflevit dilectæ fata maritæ
Æstates binas, totidem brumasq; rigentes,
Cordolium ponit tandem, nova fœdera pangens
Connubii, jungit præstanti corpore Nympham
Nobilitate sibi similem. PAR NOBILE dextras
Cõplicat ardentes non hoc sine numine Divûm.

Ecce! novis nuptis exoptatissima quæq;
Ecce Planetarum positus spondere videtur!
SOL minimam cogens lucem, longissima noctis
Tempora producit, Soli se CYNTHIA jungit
MERCURIUS medium VENERIS complecti-
tur astrum.

Errantes, mirum, quatuor Capricornus in imo
Fertq; refertq; polo stellas: stat MARTIUS ignis
Alatere, opponunt se JUPITER atq; SATUR-
NUS,
Hunc LEO magnanimus, vehit illum splendida
VIRGO.

Num cœli hanc faciem frustra regit Arbiter
orbis?
Num temerè hæ moles magnum per inane fe-
runtur?

Dic igitur dic quæso, & eris mihi Delius alter,
Quid



Quid voveāt septem cœli hæc vaga sydera Spōsis
Nobilitate pari claris? Ego quæ bona cunq̄;
Quæ mare, quæ tellus, quæ cœlū continet, opto,
Optatis faciat non pondus abesse JEHOVA.

Christophorus Ludovicus,
Diaconus in Patria.



V.

D Ante DEO, fruimur donis, orbamur iis-
dem,
Si placet huic, per quem, quod sumus,
omne sumus.

Non etenim casu geritur res nostra, sed ejus,
Qui ciet arbitrio nostraq̄; nosq̄; suo.
Quæ voluit, JOBO dedit; & data rursus ademit,
Demtaq̄; restituit fœnore dona novo.
Namq̄; SUOS mirè ducit; post vulnera sanat,
Pressaq̄; curarum pondere corda levat.
ACCIDIT hæc quoque fors tibi, laudatissime
Sponse,
Publicus ereptâ conjuge luctus erat.

B

Sed



Sed modò gratamur, quòd, quæ tibi rupta fuê-
runt,
Sunt consorte novâ vincula facta tori.
Author conjugii, DEUS & Pater optime, cujus
Ad nutum vivunt corpora juncta duo.
Nobilium faxis tibi sint connubia curæ,
Utrorumq; , sacrum qui subiêre torum.
Vivant felices, nec carpant gaudia segnes,
Carpere quæ, justo non prohibente, licet.
Nulla lues odii illorum perturbet amores,
Nec violet castum garrula lingua torum.
Sed velut unanimes certant in amore columbæ,
Conjugii pulcrum simplicis indicium.
Mutua sic illis pugnandi gratia cesso,
Nec dirimat socium cana senectâ torum.

M. Christophorus Nettelbecius
in Patriâ Bernb. ad D. Ægidii
Diaconus.



VI.

P *Ygmalion verò cælebs sine conjugè vixit,*
Cõsortemq; tori respuit ipse diu. Ov. l. 10. Met.
Interea



*Interea niveum mirâ feliciter arte
Sculpfit ebur, formam virgineamq; dedit;
Arte dedit mirâ formam, quâ fœmina nasci
Nulla potest; operisq; arsit amore sui:
Miratorq; operis fert illi plurima promptus
Munera; virgineo munera grata choro:
Indeq; nulla proci non æquat munia veri,
Quæ docti series longa Nasonis habet.
Si verum, mirum, nec cuiq; imitabile factum,
Est & inauditum Pygmalionis opus.
At quantum auspicio, quantum illius instar in
ipso
Connubii, Præses suspiciende, tui!
Nempe diu! cœlebs primum sine conjuge vivis,
Post viduus sociam respuit ipse tori.
Interea meditare piam, felicibus ausis,
Costam, cui formam te dare posse cupis:
Et quoq; das tandem formã, qua femina in orbe
Haut nasci toto pulcrior ulla potest.
Virginis est autem facies nitidissima castæ,
Cui bene SUSANNAE nomen & omen inest.*

B 2

Hujus



Hujus legitimos meditatae comparis ignes
Hauris, ac toto pectore, amore flagras.
Cautus rem tentas, sit promissura petenti
Conjugium Virgo, sit vè rogata minus.
Et modò blanditias adhibes, modò grata puellis
Munera, SUSANNAE fers placitura proba.
Fers Indas illi conchas, teretesq; lapillos,
Quosq; auro decorat bractea multa, libros.
Das digitis gemmas, das longa monilia collo:
Aure levis pendet bacca, catella manu.
Atq; ubi lux aderat sanctis faustissima ceptis,
Ex animo fundis vota precesq; pio:
ô bone, qui dare fausta potes quaecunq;, Jehova,
Sit conjux, opto, virgo SUSANNA mihi:
ANNAE sit similis, dixti, per fata priori,
BORSTELIAEQ; Auctrix ingeniosa Domus.
Vota quid illa velint, & Numina sancta vo-
cantis

Supplicium vidui, sentit ut ipse Deus:
Votis advertens placidas non impiger aures,
Hanc spondet sociam se dare velle tori.

Tum



Tum verò Arctoium plenissima concipis Heros
Verba, quibus grates pectore gratus agis.
Nec mora: praelustri succedis Principis Aula
Huc, ubi Cothenum nobile floret Avis:
Ambis SUSANNA MCUCTIS virtutibus auctam, &
Quà stirpe insignem, quà pietate gravem.
(Corporis heic graciles memorare quid attinet
artus

Donaque, tot cultis jam celebrata Viris?)
Annuit affatu facilis SUSANNA petito,
Et juga adest thalami prompta subire tui.
Ipsaque jam venit tade lux festa jugalis,
Fausta que nox vestro prima dicata toro.
Hinc multum gaudet letæ plaudunt que Cothene,
Gratatur que DOMUS BORSTELIANA sibi:
Aula que letatur Bernburgi, & fausta precantes
Arctori mittunt carmina multa Viri.
Ecquid Ego, Arctorei moderatus sceptrâ Lycæi
Qui largam sensi, Præsidente dante, manum,
Ecquid Ego faciam? sileam gratantibus illis,
Nec loquar? id meriti menses memor ista vetat.

B 3

Con-



*Conjugium potius, gratans de pectore, Sponsis
Fœcundum sobole, Nobile pace precor.*

In

Observantiæ, ac gratulabundi animi
indiciam nuncupatum

à

M. Ernesto VVulstorpio
Sereftano Anhaltino.



VII.

COelibe multa super vitâ, nuptisq; procisq;
Maturis thalamo, rogitantibus **ILLE** cele-
bris

Sic **PHILO** respondisse **SOPHUS** perhibetur
acuté:

Fallacem circa nasam, positasq; sagenas
Collidunt pisces in aquis pro more frequenter:

Primi quiq; volunt certatim semper inire,
Afflictim contrâ malunt exire recepti.

Evenit haud aliter tædis socialibus, ægré

Quas ambit juvenum, quas ambigit unicé, amæ-
Laudibus & cœlo tollit, liberrima turba, (nis

Has



Has vetat, has renuit damnans, has devovet, imò
Reppudiat, thalami sacris obnoxia vinclis.

Tu verò PRÆSES generose & strenue! fidæ
Quem sociæ subitâ deceptum morte fefellit
Primus amor, quem tristitiâ maciavit acerbâ,
Ecquid agis? tua quò traxit sententia mentem?
Immemor es moniti, cedro quod pulchrius altâ,
Nec, SAPIENS, abs re caris præscripsit alumnis?
Vix, Tu, vix salvus sinuosæ retia nasæ
Evâsti, vincli vix insperata prioris
Damna sepulta: paras iterum & socialia lecti
Frena novi: capitisq; novum subis ipse periculum.

Fallor? an optati refoves sub pectore causam
Fæderis? & thalami fines, fructusq; hymenæos
Rectius evolvens animo, meditaris ad ungvem?
Ethnicus, ignarus quorum SOPHUS orsus &
ausus

In sacras temerè convitia fundere tædas.

Sanctius in terris nihil unquam Vesper & Eos
Conspexere TORO, Pietas quem ditat &

ORTUS,

Ipsè Deus cuius, summi Moderator olympi,
Fautor, & est Autor, Ductorq; & Pronubus. Ipsè
Fecit enim lecto sociam, propriamq; dicavit

Pri-



Primiparentis Evam : cum diceret : hanc tibi ha-
beto :

Vobis terra parens, vobis mare, & omnia terræ
Morigeras vobis operas animantia præstent :
Prole solum replete, | polum replete profundum.
Hujus ab æternâ tibi dextrâ commoda consors
Additur, & proavis, & marte insignis, & arte,
Ter, Præses, venerande mihi, lectissima Nympha,
Quâ genus & forma & virtus, tria maxima dona,
Rara beant, magniq; ferunt super atria Solis.

Hanc igitur gratare, tuo gratare Patrono
Hanc sociam, mea Musa! pio & de pectore votum
Prome, poli Rector quò vincla secunda secūdet.
Alter Anhaltinæ Ripheus, & Zopyrus alter
Est Domui : nostræ magnum PATRIÆ orna-
mentum,

Quem fora mirantur, quem cūria suspicit unū,
Rhetora quem celebrant secreta negotia Regū.

Non opus est nostræ tanto gratarier *ἔγωγῃ*,
At gratemur, ait vultum demissa, fidelem
Testantes animumq; & debiti amoris honorem,
Adsit EROS lecto, Discordia mobilis absit :
Absit ERIS TECTO, Concordia nobilis adsit :
Et sanus sanâ cum Sponsâ Sponsus in annos
Vivat,



Vivat, Nestorios HENRICUS vivat, in annos
BORSTELIUS, veros videat, serosq; superstes
Incolumes, salvos, in honore, in flore nepotes.
Plura: Deus *νεγδίνς* sed *γνώστης* augeat omen.

In observantiæ debitæ
& grati animi testimonium
ἔυχαι γων apponebat

Johann Preusse Dessanus A.
Scholæ Bernb. p. t. R.



VII.

HEXAMETRUM

AD

Magnificum, Nobilissimum,
Atq; Amplissimum

Dn. Sponsum, DOMINUM suum
observandissimum.

Sit modò firma boni certissima regula facti;
Quicquid agis, prudēter agas, & respice finē;
C Quem



Quem qui respexit, semper prudentius egit:
Hoc sane prudens, *Proprinceps Maxime, Ve-*
strum

Ceptum, quod triplici præsigni fine decorum:
Conjugii siquidem suasisse videtur *Honestas*
Auspicium, & pulchrâ cum *Commoditate, Ne-*
cessum.

Scilicet exemplum virtute imitabile clarâ
In ditioe viris subjectis ponere, pulcrum est.
Fas, vice subjectas moderantem Principis oras
Sceptra tenere domi, privataq; flectere regna:
Fas, firmare tori locialia fœdera casti,
Abdita Conjugii mysteria nosse sacrati,
Usq; nec expertem thalami traducere vitam.
Clerica amat vacuo requiescere turba cubili,
Quæ temnit summi veneranda statuta *J E H O-*
V Æ:

Ipsa probat vitam pia degere turba jugalem,
Quæ tegit æterni veneranda statuta *J E H O V Æ.*
Ergo ut Conjugium pulcrum: Sic utile vestrum
est:

Nam menti, innumeris curarum fluctibus ægræ,
Conjugium novit dextram admovisse salu-
brem.

Utq;



Utque ignota mihi non multis plurima dicam:
Fortunæ sociam vitæque habuisse jugalis,
Id facit, integræ ut vigeant in corpore vires,
Sit leve curarum pondus, grave fortè, maritis,
Et mage, quæ fuerat certè infelicior olim
Alterutro rectore carens, & turbine pressa,
Floreat ipsa Domus, soboleq; & pace beata.

Vidisti hoc equidem, *Proprinceps Optime*,
dudum

Vidisti, & cautâ reputâsti mente futurum
Utile Conjugium, quod *Pulcrum* suaserat i-
psum;

Jamq; videbatur pariter stimulare *Necessum*:
Nam prævidisti, *Proprinceps Optime*, dudum
Vidisti, & cautâ reputâsti mente, vetustæ
Firmamenta *Domus* potiora labascere *vestra*,
BORSTELIAMQUE, olim generoso semi-
ne certè

Fœcundam, multùm jam nunc marcescere
stirpem:

Vix etenim una Decas, tanto de sanguine creta,
Jam superest, & adhuc vitali vescitur aurâ;
Cui tamen ob gelidam partim, effœtamque se-
nectam,

C

2

Ob



Ob morbos partim validos, partimque tenellam
ob

Ætatem, sobolis non est spes magna futuræ:
Ergo nulla mora est; supponere protinus isti
Fulcra studes prudens Domui meliora labanti;
Et, ne BORS TELIUM, generosâ ab origi-
ne clarum

Consiliis gravibus, factisq; insignibus, olim
Occidat omne genus, promptam quærendo me-
delam,

Vota secunda facis, mentemque regente JE-
HOVA,

Cothenas properas, succedis Principis Aulae,
Eque Gynæceo præstanti corpore, & ipsis
Ingenii donis animi, Pietateq; claram,
Nec non Nobilibus, magnisque Parentibus or-
tam NAM:

Ipsæ legis, propriamque dicas per vota SUI AN-
Connubio hanc jungis stabili, ducisq; Cothenis
Fidam curarum Sociam vitæq; jugalis,
Lætis Delicias, rebusque Levamen in arctis,
Auctricem vestri generosi stemmatis almam,
BORS TELIÆq; Domus firmam per fata Co-
lumnæ.

Oite-



O iterum prudēs, *Proprinceps Optime*, Vestrū
Factum, quod triplici præsigni sine decorum!
Nunc quid ego faciam? nostri quid muneris?

Ipse

Digna canam Sponsis encomia singula tantis?
Non Potero: (neq; enim parvi res ista laboris:)
Quin rumpo filum, & verbo pia nuncupo vota:
Adsit, jò! & Votis respondeat usq; Secundis
Exitus optatus, vivat per secula felix

Börsteliana Domus! vivat stirps alma per æ-
vum!

Submissæ observantiæ & Hu-
militatis ergo
apposuit


Johannes Taschenbergerus S. A.
Nobilissimæ pubi Bör-
stelianæ p. t. à
studiis.


F I N I S.



[Faint, mirrored text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through. The text is mostly illegible but seems to contain Latin or German phrases.]







Id 4206
g

ULB Halle

3

004 167 287



f
56

Sik. 18 u. 25 nicht in PICA,
da Hschr. +90


8-14

24 VD 17

10. Aug.
Jul. 01

M





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Farbkarte #13

B.I.G.



...XI.
...LIKA
...isfimi
R I C I
L U S T R I S
...NCIPIBUS AN.
...à consiliis secre-
... Illustris. Ibidem
...in Plöskaw / &
...tum genere
...ne
R h ä m e n /
...strenui
...men / r c .
...f / r c .
...thenâ
...i

